



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XXII. Eam te.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## Relatum.

## PARAPHRASIS.

Significatum est Alexandro III. quòd Ecclesiasticæ personæ occasione laicæ recognitionis (quia v. g. Dominus loci jus patronatûs habet) sine Episcopi autoritate beneficia in parochijs vendicatis sibi audent, quia ergo isti non intrant per ostium, sed aliunde ascendunt, & ideò digni non sunt pastoris nomine, ut prærogativâ gaudeant, ideo Papa mandavit Archiepiscopis & Episcopis Angliæ, ut, si illæ personæ beneficia non resignarint, quæ sine Episcopali concessione habent, ab officio & beneficio suspendantur; si neque tunc destiterint, excommunicentur, neque ante satisfactionem condignam absolvantur.

## SUMMARIUM.

1. Intrusus per Laicam potestatem sine Episcopi autoritate in beneficium, titulum, & jus Pastoris veri non habet.
2. Et Censuris constringi potest, ac debet ad resignandum.
3. Et qui taliter possessiones Ecclesiarum invadunt, sunt excommunicandi.
4. Et taliter spolians Ecclesiam tam coram seculari, quam Ecclesiastico iudice conveniri potest.

**N**otandum primum. Qui in Ecclesiam per Laicam quamcunque potestatem sine Episcopi autoritate intrusus est, non tantum titulum, ac jus pastoris, prælati, aut beneficiarj non allèquitur, sed neque nomine gaudere debet, ita ut non Prælatus, aut Rector dicendus sit, sed cum addito intrusus, aut præensus, nam nomina rebus convenientia esse debent. *Instit. de donationibus §. est & aliud.*

2. Notandum secundum. Qui beneficia, aut prælaturas à Laica potestate accipiunt,

cenuris constringi debent ad resignandum etiam excommunicari, ac denique depun-  
Videri potest *Cons. Trid. Sess. 22. c. ult. de reform.*

Notandum tertium. Qui Ecclesias spoliavit, aut possessiones earum invadunt, sunt excommunicandi, sive sententia lata non ferenda, cum comminatione excommunicationis ipso facto incurrerent, nisi absterint, & satisfecerint *c. conquestus 16. j. n. c. Glossa finali de foro compet.* Et postquam contumaces facti excommunicationem contraxerunt, ea declaranda & promulganda est, uti hic significatur. Porro in *Trident. cit. c. ult.* continetur excommunicatio sententiæ lata, & reservata Papæ contra eos, qui bona jura, vel jurisdictionis Ecclesiarum usurpare, aut in proprios usus convertere præsumserint, vel impedire, ne ad eas perveniant, ad quos de jure spectant; im-  
per si Patronus Ecclesiæ ita delinquit, ut jure Patronatûs privetur.

Notandum quartum. Laicos Ecclesiam spoliavit, coram seculari iudice conveniri potest, quia actor forum rei sequitur *c. cum sit. 8. de foro compet.* Potest tamen etiam coram Ecclesiastico conveniri, ideoque hoc sacrilegij crimen, censetur esse mixtum *hæret. cit. c. cum sit. junctâ Gloss. & Glossa finali in cit. c. conquestus.* Verum in quibusdam locis Laici iudices seculares non permittunt tales causas contra Laicum sibi subditum in foro Ecclesiastico agitari, quamvis male agant, & contra canonem.

## CAPITULUM XXII.

## Eam te.

## PARAPHRASIS.

Si circa jus patronatûs in aliqua Ecclesia judicialis lis orta sit, & intra 6. menses post Ecclesiæ vacationem numerandos non finita, Episcopus personam idoneam instituere potest.

\* \* \*

SOL.

## SUMMARIUM.

1. Lite pendente circa Jus Patronatus, presentatio admitti non debet.
2. Quid in tali casu Episcopo faciendum, quo Clericus cum Laico circa Jus Patronatus litigat?

Notandum primum. Lite pendente circa Jus Patronatus presentatio admitti non debet. Ita sumitur ex hoc *c. & c. 3. c. s. vero 12. hoc tit.* & est indubitatum, si lis sit de possessione, id est, si non appareat, quis in possessione sit juris patronatus, uti docet *Gloss. in c. 2. V. electionem de in integ. restit.* Sin autem lis sit de proprietate, refert, num presentatio à bonæ fidei possessore facta sit ante litem motam, an verò post; in priore casu institutio procedere potest, non item in posteriore, uti docui *lib. 4. tit. 2. c. 13. n. 19.* & tradit *Gutierrez in quest. pract. 9. 2. n. 41.* Adde, quæ dixi in *c. consultationibus 19. hoc tit.*

Notandum secundum. In casu, quo Episcopus pendente lite instituere non potest, expectare debet 6. mensibus post beneficij vacationem: quod verum est, si Patronatus sit Ecclesiasticus, uti docui in *cit. c. 3. & cit. c. s. vero* Adde hic *Joann. And. n. 1.* si inter Patronum Ecclesiasticum, & Patronum Laicum sive privatum controversia sit, expectandum esse 6. mensibus, quia socius propter communionem gaudet privilegio, seu jure socij, si socius privilegiatus absque socio jure suo uti non posset, prout docui in *cit. c. 13. n. 4. & s.*

## CAPITULUM XXIII.

## Præterea.

## PARAPHRASIS.

Quoniam advocati Ecclesiarum jus advocacionis titulo donationis, exemptionis, aliisque suo arbitrio institutis contractibus in alios transferre præsumunt, fordrum item, sive collectas, albergarias, sive militum in ædibus sustentationem, regiū seu tributū, & similia ab Ecclesijs

tanquam à proprijs rusticis extorquent, ideo statuit Lucius III. ut Advocati, seu Patroni, seu vice domini & custodes, seu quaridam habentes, aut quocunque alio nomine censentur, à gravaminibus Ecclesiarum cessent, nihilque ab ipsis præter antiquos, & moderatos redditus à locorum Episcopis institutos, exigant, aut si aliquid exegerint, excommunicationi subdantur. Contractus quoque illi, quos fecerunt, aut facient, nullius momenti esse pronuntiant.

## SUMMARIUM.

1. Jus Patronatus, & Advocacia in jure subinde æquiparantur.
2. Patrono in fundatione reservari potest cum auctoritate Episcopi pensio aliqua.
3. Non possunt Patroni, & Advocati Ecclesiarum onerare eas extraordinarijs oneribus, extra casum communis necessitatis.
4. Advocatus Ecclesia, quando jura, & commoda temporalia jure Advocaciae competentia, in alium transferre possit.

Notandum primum. Licet jus patronatus, & jus advocatiæ, si propriè loquendum, distincta sint, teste *Gloss. hic v. jus advocacionis*, tamen in jure æquiparantur; quia utrumque est beneficium ab Ecclesia concessum, iterumque per se, ac seorsum vendi prohibetur, transire autem potest cum translatione bonorum, quibus tale jus annexum est. Ita *Hofst. & And. hic n. 5.* Discrimen verò est, sicuti hic *Innoc. notavit*, quòd jus patronatus loco religioso aut Prælato nomine Ecclesie liberè donari potest, non item jus Advocacionis, cum valdè intersit Ecclesie, qualem Advocatum habeat.

Notandum secundum. Patrono in fundatione reservari potest cum auctoritate Episcopi pensio aliqua, sed debet esse moderata, habità ratione facultatum Ecclesie,

Ppp 2

uti